



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia**

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, 1630**

Vtî amans anima contempletur Dei Sanctorumq[ue] felicitatem, &  
æternam pacem, ac in cælestibus stabiliationem. Cap. XVII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

*Vti amans anima contempletur Dei sanctorumq; felicitatem & eternam pacem ac in caelestibus stabilitionem.*

## CAPVT. XVII.

**E**cce ante te est cor meum, Deus cogitor cordis mei, ecce tu videns omnia vides, quod quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te. *Sicut anima mea ad te Deus fontem viuum: quando veniam & apparebo ante faciem tuam?* Quando tota transibo non reditura amplius in locum tabernaculi tui admirabilis vsque ad domum tuam? vbi caelestes Angelorum tuorum populi laudant nomen tuum, qui non habent opus suscipere firmamentum hoc, vt in creaturis creatorum agnoscant & legendo intelligant te. Psal. 43

Vident enim faciem tuam semper, & ibi legunt sine syllabis temporum, quid velit aeterna voluntas tua: legunt, eligunt & diligunt. Semper legunt, & nunquam praeterit quod legunt. Eligendo enim & diligendo legunt incommutabilitatem consilii tui. Non clauditur codex eorum, nec plicabitur liber eorum, quia tu ipse illis hic es, & es in aeternum, quia super hoc firmamentum ordinasti eos, quod permanet in aeternum. Stabiles sunt illi & immobiles, stabiliter & immobiliter pulchritudinis tuae dulcedinem contemplantes, in pace tua in te vero pacifico, in te vera & summa & sola pax, quae omnem etiam angelicum sensum exuperat, quiescentes. Quiescunt quidem Throni pacati & tranquilli in te pacatissime & tranquillissime: sed non quemadmodum tu in te o summa pax & tranquillitas. Quid enim est creatura, quantumcunque pacata, ad te summam pacem? Pacati quidem sunt, sed non propria, immo magis illius pace, & illa pace pacati, quae ponit fines caelestis Hierusalem pacem. Acceperunt enim & ipsi pacis suae tranquillitatem, te o pax nostra in illis sedente, & eorum ministerio cum tranquillitate omnia iudicante.

O si in illam pacem quandoque perueniam. O si in illa pace Dei mei, immo melius Deo meo nunc tandem obdormiam & requiescam. O pax mea Deus meus, quam diu vigilabo in me, & non obdormiam in te? Obscuro te per te Deus meus, pax cordis mei, quae in caelo sunt & in terra pacificans, tolle animam meam vsque adhuc in litibus & dissensionibus suis vigilantem, & fac eam in te pace mea pacatissimum obdormire. Psal. 71  
Colloca

Obdormiam in corde tuo vera & summae pacis fonte, de quo mihi tranquillitas aeterna scaturiat & profuatur, vt non commouear in aeternum. O quam bonum, & quam iucundum habitare in vnitatis pacis tuae, vniri tecum in pace tua, connecti tecum in vinculo vnitatis tuae, vt consummati in vnum, semper in te vnum simus, qui semper idem es. Psal. 132

Quid gloriosius, quid delicatius, quid melius vnitatis hac, qui tecum vniri debemus in tua vnitatis dulcissime, pacatissime, tranquillissime inseparabiliter per manum tuam, vbi declinabis in nos sicut torrentem pacem, & dabis nobis solacium verum, pacem super pacem, & manifestabis nobis in temetipso magnam multitudinem, multam magnitudinem dulcedinis tuae, quam abscondisti timentibus te, quae conseruasti amantibus te, praeparasti credentibus in te, perfecisti sperantibus in te, largiris venientibus ad te: & requiesces tu in nobis cum summa tranquillitate & pace, sicut & in Thronis tuis, & nos quoque in te pace vera & aeterna facies accubare quam parasti in dulcedine tua pauperi Deus ditissime & dulcissime. Psal. 66  
Psal. 30  
Psal. 97